N. 5

PLAUTO PROPERANTE AD EXEMPLAR EPICHARMI.

COMMENTATIO AD HORAT. LIB. II. EPIST. 1. V. 58.

QUA

EXAMEN PUBLICUM

IN

GYMNASIO REGIO RATIBORIENSI

DIEBUS XIX. XX. & XXI. M. APRILIS HABENDUM

INDICIT

CAROLUS LINGE, PHILOS. DR.
GYMNASII DIRECTOR.

CONTINUANTUR DEINDE ANNALES GYMNASII.

RATIBORIAE,
TYPIS F. M. LANGERI.
MDCCCXXVII.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.

Roma Augusti aevo, quo una cum studiis poeticis ars critica adolevit et juveniliter se jactare coepit, duumviros vidit, eum ipsos ingeniorum monumentis insignes, tum romani ingenii reprehensores acerrimos, C. Asinium Pollionem et Q. Horatium Flaccum. Uterque principes in omni genere doctrinae exagitabat, alter aequales, Ciceronem, J. Caesarem, Livium et Sallustium, alter aliquanto majores, Ennium, Plautum Nævium, Lucilium, alios. In quo num considerate, candide et recte judicaverint, an temere, cupide et arroganter, nolo dijudicare, quanquam neuter a malignitate satis remotus esse videatur; sed illud potius quæramus, utrum soli et suo usi judicio ita statuerint, an cum aliis et ex errore quodam seculi, atque ut alios in suam sententiam abriperent. Et Horatii quidem, nam de eo solo jam sermo erit, humilis atque abjecta opinio, nominatim de Plauto concepta, eo latinitatis auctore et poeta comico, qui non solum vulgi opinione optimus habitus, sed etiam intelligentium judicio semper fuit probatissimus, omnibus fere displicuit, non nullis etiam bilem vehementer movit. Eam rem quum in disceptationem quæstionemque vocaverit immortalis memoriæ vir, quem nuper Silesiæ et literis acerba morte ereptum omnes dolemus, J. C. F. Manso, ita tractavit, ut Horatium non tam suum, quam suorum judicium pronuntiasse doceret, et Romæ factam esse illo tempore magnam judicandi de re poetica commutationem, novamque exstitisse quasi disciplinam et scholam, quæ de arte et ingenio poetarum et de virtutibus carminum æstimandis subtiliore quodam sensu judicaret, ejusque scholæ Horatium etsi non principem

interpretem tamen esse et quasi præconem demonstraret *). Sed utinam vir egregius, quo melior his de rebus non exstat arbiter, indicasset novos illos areopagitas! Et quinam tandem illi? Num Asinium Pollionem in eo numero fuisse censebimus? at hunc omnium quidem horarum hominem, prisci tamen et ingenii et moris fuisse constat **); an Virgilium? at et hunc Ennii æque fuisse studiosum atque Homeri, omninoque justiorem Horatio romani ingenii æstimatorem novimus; an Plotium Tuccam et Valgium et Fuscum Aristium, quos nemo fere præter Horatii scholiasten poetarum nomine ornat? an Mæcenatis cincinnos et calamistros? Ut verum fateamur, neminem inter Horatii familiares atque eos etiam, qui ipsi poesin exercerent aut judicare de ea possent, tam delicati fastidii fuisse reperimus, ut cum Horatio priscos gentis suae poetas contemneret et despiceret, nedum ut idem sentientium exstaret multitudo et societas, quam hodie scholam vocamus. Ac ne Cæsarem Augustum quidem videtur assentientem habuisse, qui quanquam judicio erat perquam limato et polito, et animo ad jocandum cavillandumque promto, quanquam antiquarios et qui exoletas voces aucuparent, ridebat, atque etiam Græcos vehementer admirabatur, nusquam tamen seniores Romanorum poetas risisse legitur. Solus itaque Horatius, et suo,

---

*) Ueber Horazens Beurtheilung der ältern Dichter der Römer; zur Ankündigung &c. Breslau 1817. 4. pag. 7. „Man erräth leicht, aus welchem Gesichtspunkte ich Horazens Angriff auf Roms ältere Dichter betrachte. Offenbar stellte er sich ihnen nicht bloss in seiner Person, und als für sich stehender Kunstrichter, sondern als Sprecher und Wortführer der neuern Dichterschule entgegen.“ Repetita est hæc commentatio in Vermischte Abhandlungen und Aufsätze von Manso, Breslau 1821. 8. Moverat jam pridem hanc quæstionem Manso in Charakter. d. vornehmsten Dichter aller Nationen. Th. IV. St. 2. p. 431 sqq.

**) In Dialogo de causs. corr. eloqu. c. 17. Asinius Pollio cum Cicerone antiquis oratoribus adscribitur. Ib. c. 21. „Asinius quoque quanquam prioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenios et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non solum tragœdiis, sed etiam orationibus suis expressit.“ Quinctil. Inst. Or. X, 2. „A nitore et jucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit seculo prior.“ Id. I, 8, 11. „Nam præcipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Asinium et ceteros, qui sunt proximi, vidimus Ennii, Accii Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii et aliorum inseri versus, summa non eruditionis modo gratia, sed etiam jucunditatis.“ Asinium autem priscos poetas non annis æstimasse, sed ingenio, quod illis pro arte erat, vel ex eo potest intelligi, quod priscorum verborum adfectationem Sallustio exprobrabat, id quod non fecisset ineptus antiquarum formarum sectator.

non amicorum judicio fretus, ita statuit. Nec poterat aliter sentire, ut qui a cunabulis quum Romæ tum Athenis in convictu et contubernio hominum græcorum totus fuerat in græcis, græcisque studiis ingenium suum ad humanitatem, ad pulcri decorique sensum et ad omnem literarum elegantiam finxerat atque acuerat, ut in ejus mente insideret græcæ sive potius atticæ poeseos species, ad quam solam quum referret, quidquid latini ausi essent poetæ, nec quenquam inter priscos illos reperiret talem, qualem sibi animo finxerat; exagitabat omnes, simulque eorum laudatores et miratores.*) Neque nova erat censoria haec acerbitas, sed more majorum concessa poetis et jam ab Aristophane accepta, quem morem secutus Naevium carpit Ennius, Ennium Lucilius, Lucilium ceterosque omnes Horatius **).

Et objurgat in epistola ad Augustum scripta, sale non magis adspersa, quam felle tincta, sui temporis Romanos, et si qui inter eos erant critici, quod recentium poetarum incuriosi, priscos legant, priscos spectent et quavis laude cumulent refertque inde a v. 50. quam speciosis nominibus opinionem suam probare aliis satagant. Ennium, inquit, alterum quendam vocitant Homerum, securum de aeterna ingenii sui gloria, Naevium itidem pene recentem in omnium mentibus haerere clamant,

---

*) Singularem expertus est sermo latinus fati iniquitatem, cui quum optandum esset, ut aptas et integras haberet omnes corporis partes, exorti sunt duo viri alioquin præstantissimi iidemque in suo genere principes, quorum alter eas imminueret, alter detorqueret. Etenim quum Cicero præ ceteris urbanitatem sermonis sectaretur, vitaretque sedulo verba, quæ proprium illum urbis gustum non haberent; viri auctoritas tantum valuit, ut plerosque scriptores idem vocum domesticarum fastidium subiret, earumque ingens multitudo in scriptis usurpari desineret tandemque prorsus interiret. Ita latinus romano cessit sermoni, et e consortio hominum doctorum et elegantium rus delegatus paullatim obsolevit. Quanta in eo jactura facta sit, docet et poetarum et glossographorum lectio. Ut uno defungar exemplo, in epistola ad Paetum, quæ est ad Famil. IX, 15, sermonem latinum Cicero peregrinitatem vocat in urbem infusam. Horatius autem ne urbanitatem quidem romanam poterat concoquere, sed detorquere eam studebat ad atticos lepores et peregrinas potius quam romanas facetias; a quo quum novitatis exemplum peterent, qui postea fuerunt poetae, fracto patriae amore, graecissandi morbus nimium quantum auctus est et propagatus.

**) Nec Graecorum de veteribus comicis una erat sententia; sed Aristoteles, Plutarchus et Artemidorus antiquae comoediae jocos illiberales, novae liberales tribuunt: cf. Toupius ad Longin. XXXIV. 2.

Pacuvium doctrina, Accium altitudine animi praestare; togam Afranii Menandro jactant convenisse, i. e. togatas ejus fabulas simillimas esse fabulis lepidissimi et celeberrimi inter recentioris comoediae atticae poetas; Plautum properare ad exemplar Epicharmi Siculi. Haec verba ambiguitate laborare, immo multiplicem admittere interpretationem, facile apparet. Illud autem in primis tenendum, dispares h. l. componi et eos quidem, qui in summo apud Romanos essent honore, Atticorum Menandrum, Doricorum Epicharmum. De Menandro res notissima. Epicharmi vero gloria, vix dubitari potest, quin Plauto florente, quo tempore Sicilia in romanam ditionem concessit, ad Romanos penetraverit. In immensum autem crevit viri auctoritas, quum, fortassis Ennio docente, eum inter Pythagoreos fuisse cognovissent, quorum sapientiam quo minus intelligebant Romae, eo impensius admirari solebant. Hunc imitari Plautum, non potest esse simplex sententia, sed magnificam aliquam laudem debet continere, ut poeta romanus proxime ad siculum accedere ac dignus esse dicatur, quem alterum quasi Epicharmum vocent, quemadmodum Ennius praedicatur alter Homerus, Afranius Menandrum aequiparare fertur, quemadmodum Virgilius Pollionis carmina digna Sophoclis cothurno, et Cornelio Gallo Hesiodi calamos a Musis datos esse ait. Ita interpretes quoque nostrates expressisse video; Wieland vertit:

„Plautus heisst mit Recht
Roms Epicharmus, oder kommt ihm doch
Sehr nah."

Ern. Günther:

„Plautus, Roms Epicharm, hat ereilt das sicilische Vorbild."

Neque etiam satis expresseris laudis illius amplitudinem, si Plautum Epicharmi fabulas in latinum sermonem vertisse dicas. Nec enim Afranius, qui togatas scripsit, h. l. dici potest Menandri fabulas transtulisse, nec usquam apud Plautum, qui plerumque in prologis græcum, ex quo sua depromsit, poetam indicare solet, usquam Epicharmi fit mentio. Commemorantur quidem a priscis scriptoribus fabulae epicharmeæ, quae plautinis quibusdam ob nominis similitudinem possint comparari, ut *Ἀγρωστῖνος* (Truculentus) *Βάκχαι*, *Πέρσαι*, *Χύτραι* (Aulularia) *Ναυαγός* (Rudens); sed de argumento nihil certi potest constitui. Recte igitur suspicantur viri docti, illi properandi verbo subesse peculiarem aliquem sensum. Non tamen assentior iis, qui de dictione intelligunt, quae verborum ponderi et gravitati, qua excelluerit Caecilius, opponatur, ut video apud Gesnerum nescio cujus glossam: „ properare, facili lepore

diffluere.“ Alii cogitarunt de plautinorum numerorum celeritate, ut I. H. Vossius videtur:

„Plautus schwebet so leicht, wie der Siculerbard' Epicharmus.“

Sentio, quanta sit trochaicorum tetrametrorum, quibus Plautus saepissime utitur, properantia, non ignoro, Epicharmum hoc potissimum versuum genere usum, id quod satis docuit Bentlejus et fragmenta quoque Siculi comprobant: sed ideo Plautus non erat huic uni comparandus, quia ante versus jambicos in scenam receptos omnes et tragici et comici poetae trochaicos usurparunt, nec, quod sciam, Epicharmus prae ceteris hoc nomine laudatur.

Dupliciter autem Plautus intelligi potest properare ad exemplar Epicharmi: aut enim properat secundum exemplar suum, atque ut properat Epicharmus, ita et ipse properat, quod fieri potest, si Plauto tanta est actionum, sententiarum sermonum, numerorum et quaevis alia celeritas, quanta Epicharmo; aut citato cursu fertur Plautus, nititur et sedulo contendit ut Epicharmum, in quem, tanquam in exemplar propositum, oculos animumque defigit, cursu assequatur, quemadmodum apud Ovidium est properare ad metam et apud Sallustium milites ad gloriam, ad praedam properare jubentur. Hunc sensum ego verbis inesse puto, adjuncta tamen notione certissimi ac prosperrimi successus. Nolo ambitiosius grammaticorum de hoc verbo suffragia colligere; sed si, quae Nonius Marcellus et apud eum Cato itemque Gellius, Festus et Corn. Fronto tradunt, summatim dicere licet, est illud studiose, sedulo et naviter aliquid agere et cito perficere. Simili modo Horatium usurpasse video I. epist. 3, 28. „Hoc opus, hoc studium parvi properemus et ampli.“ Ita quoque Schol. Cr. nostrum locum explicat: „properare, appropinquare laudi Epicharmi.“

Opinabantur itaque Romani, Plautum aemulatum esse Epicharmum et proxime ad ejus accessisse virtutes. De qua re quid ipse statuerit edisserere quum Horatio non placuerit, nec quisquam veterum eam commemoraverit; possit aliquis non sine aliqua veri specie omnem illam Epicharmi aemulationem in dubitationem vocare. Sed locus Hieronymi in epist. ad Pammachium de optimo genere dicendi: „Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres comicos interpretati sunt:“ quem ego ad Epicharmum refero.

Si qui autem Plautum ad Aristophanem propius accedere dicunt, quam ad novos comicos, ii sine dubio inexhaustam ejus vim comicam, magnamque jocorum et copiam et venustatem et varietatem spectant, quae bona ab ipsa natura, non a lectione Graecorum hausit. Difficilius fuerit demonstrare, quaenam sint cum Epicharmo Plauti simi-

litudines. Errant enim, quicunque Naevii ceterorumque ante Plautum comicorum fabulas veteris graecae comoediae indolem atque formam habuisse, atque Plautum primum, Epicharmum secutum, a singulorum conviciis abstinuisse existimant, ut Henr. Plank ad Ennii Medeam p. 30. Nec rectius personas quasdam comicas ab Epicharmo mutuatum esse censent, ut ebrios, quos a Siculo primum in scenam productos Athenaeus quidem tradidit, sed jam ante hunc ab Aeschylo et postea a Cratete id factum esse Athenis, docuit Aug. Meineke in Quaest. scenic. Specim. I. p. 27. Eos igitur, atque etiam parasitos, quum in attica scena quasi habitantes Plautus invenisset, inde haud dubie, unde et servulos callidos, lenones perfidos, milites gloriosos et reliquum comitatum comicum petiit, Romam deduxit. Huschkius autem, vereor, ut cuiquam probaverit conjecturam suam, quam proposuit in Analect. crit. ad Anthol. gr. p. 88. Putat enim, Plautum ipsum Menaechm. Prolog. v. 11. 12.

Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen
Non atticissat, rerum sicilicissitat, *)

indigetare scriptorum siculorum, et Epicharmi et Sophronis, consuetudinem vulgarem sermonem imitandi et voces vel inusitatas recipiendi. Quae ut fuerit Sophronis, nunquam tamen Epicharmi et Plauti fuisse demonstrabit. Otfr. Muellerus (Dorier II p. 358.) illa voce eo adducebatur, ut Menaechmorum fabulam ad Epicharmum expressam esse suspicaretur. Sed quum ipsa verba ita sunt apta et nexa, ut eorum non possit non hic esse sensus, in hac fabula non, ut in plerisque, Athenienses spectabitis, sed Siculos: **) tum vero Muellerus l. l. eam Epicharmi imaginem effinxit nobisque proposuit, quam sane non deceat alieno ornare ornatu.

De Amphitruone, num ex Attica an e Sicilia in scenam romanam venerit, multa in utramque partem possunt disputari. Siculi enim mirum in modum delectabantur eo genere ludorum, in quibus res et personae cothurno dignae ad soccum deprimerentur, ac veri simile est, eum, qui proxime ante Epicharmum fuit, Phormum Syracusium, rerum mythicarum parodias fecisse. Epicharmus autem, qui in florentissima civitate omnibus vitae urbanae et aulicae commodis usus comœdiam perfecit et absolvit,

---

*) Hanc lectionem, optimorum Mss. et edit. principis auctoritate commendatam, confirmat etiam vitiosa scriptio: sicilirissitat, quæ est in exemplari Christii cum codice Lips. collato, de quo cf. Bibliotheca Christia Nr. 5718. et Ebert Geschichte und Beschreibung der k. Biblioth. z. Dresden p. 286.

**) *Σικελικον* scripsit Philemo, fortassis etiam Diphilus. cf. Meineke ad Menandr. et Philem. p. 381.

itidem rerum mythicarum granditatem ad risum jocumque vocasse in plerisque fabulis videtur, ut ex earum nominibus colligere licet. Et qui post hunc agebantur Φλυακες tarentini, a Rhinthone Syracusio exculti et hilarotragoediarum nomine dicti, ejusdem generis erant, et teste Athenæo inter alia etiam Amphitruonem habebant. Sed de his omnium optime disseruit Muellerus l. l. Verumtamen Atticorum quoque poetæ comici, veteres potissimum et medii, parodias amabant earumque inventor Hegemon Thasius fuisse perhibetur apud Aristotelem Poet. c. 2. et commemoratur adeo apud Athenæum Amphitruo, fabula Archippi Atheniensis, qui veteris commœdiae erat poeta. Et Plauti quidem Amphitruo, quanquam multis nominibus valde discrepat a ceteris fabulis plautinis, plus tamen habet atticæ et dicacitatis et verbositatis, quam ut a Siculo quopiam ducta videri possit.

Neque tamen hæc ita a me disputantur, ut Plautum a poetis siculis prorsus aversum fuisse dicam, quem in multis Theocritum esse secutum, jam pridem viri docti observarunt. Casaubonus in Lect. Theocrit. comparat Theocriti Idyll. II, 70 cum Plauti Cistell. I, 1, 91. item Theocr. ib. 89. cum Plaut. Aul. III, 6, 26. Quibus addi potest Theocr. III, 37. cum Plaut. Pseud. I, 1, 105. Valkenarius comparat Theocr. XV, 90. cum Plaut. Persa II, 4, 2. Trinum. IV, 3, 54. Theocr. ib. 3. cum Plaut. Stich. I, 2, 37. Theocr. ib. 64. cum Plaut. Trinum. I, 2, 171. De Plauto Siculorum perpetuo imitatore scripsisse fertur De Paw Recherches sur les Grecs. p. 169.

Jam vero si dicendum est, quid ego censeam de hac Plauti cum Epicharmo similitudine, videtur mihi profecto Sarsinas cognitum habuisse et lectitasse Epicharmum cum ceteris poetis siculis, videtur etiam illius similis fuisse in eo, quod summam jocorum hilaritatem et audaciam temperabat sapientiæ præceptis magnaque sententiarum gravitate, ad hunc usque diem, ut in ludicro scriptore, a viris doctis neglecta, sed quæ magis etiam apparebit, ubi Meinekius, aut similis ingenii et doctrinae vir, omnia Epicharmi fragmenta in unum collecta ediderit, ut plautinae philosophiae comparari possint; ac videntur mihi Romanorum non nulli, quum eorum omnium in Plauto vestigia reperissent, similitudinum fingendarum more et studio ducti, illud judicium pronuntiasse. Argumenta autem fabularum Plautus potius e poetis atticis quam e siculis ducebat, plurimum tamen ac longe plurimum suo debebat ingenio prorsus singulari ac vere comico.